



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Enchiridivm Chronologicvm Sacrae Et Prophanæ Historiæ**

**Salian, Jacques**

**Coloniæ Agrippinæ, 1638**

Capvt XV. Periodo Iulianæ rationem mensuræ non conuenire.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)

CAPVT XV.

*Periodo Iuliana rationem mensurae  
non conuenire.*

**O**Mnes temporum notiones, quibus certa eorum spatia dimetimur, puta menses & anni, ætates & secula, Olympiades & Sabbatismi, certæ quædam mensuræ sunt temporis definiti. Si ergo periodus Iuliana mensura est, & quidem omnium, quæ in usu sunt, maxima, ut quæ 7980. annos colligat, cæterasque temporum mensuras diiudicet, atque discriminet, mirum profecto est ei mensuræ rationem non conuenire: quæ uidelicet debet esse notissima, aut certe notior re mensurata, ut quæ ad eius cognitionem deducat, ut vlna panni, decempeda muri vel agri, cuius amplitudinem cum ignoremus, decempeda eam notam facit. Ista vero periodus, quæ iam notas ponit indictiones, Solisque & Lunæ circulos, nonne obscurior est annis Mundi, & Urbis conditæ, si de ijs incidat quæstio, aut quælibet alia cæterarum Epocharum, aut spatiorum tem-

poris?

### Introductio

poris? Idque ipsi, si aduertant, facile concedent. Cur enim cyclos cæterorum planetarum Martis, Mercurij, Veneris, dimetiendis temporibus non adhibent? nisi quia sunt obscuriores, quam ut ijs tempora, resue gestas multo notiores mensuremus.

Rectius ergo est, multoq; facilius notas ac vulgares temporum mensuras assumere, & ad humanos vsus adhibere, vel ex historici sacri autoritate ad certitudinē, vel ex profano scripto ad probabilitatem. Deinde rationem ipsam adhibere ducem, quæ doceat tali ver. gra. rei gerendæ, tantum temporis esse necessarium, nec sufficientius. Historia non solum testis est temporum, sed quoddam quasi corpus quo nituntur accidentia. Nō indigent vmbri corpora, sed corporibus, & stylis, vmbre, quæ ab illorū situ, motione, quiete omni ratione pendent. Temporū ergo notæ, quibus quæque res contigerit, vmbre sunt, Historia, ratione & autoritate idonea digesta, stylus; quem vbi scriptor Historiæ prudenter cōstituerit, & per mundi annos in primis, æramque Christianam digesserit, accedet postmodum Scriptor aliquis cyclicus, qui obser-

uatas

## *ad Chronologiam.*

uatas per otium obscuriores styli umbras, creta notabit argentaria, vel miniatula cera.

Hac ergo mundana Epochæ, & Christiana æra præcipuè usurpata, nec tamen repudiatis cæteris vulgaribus, Diluuij, Olympiadum, Urbis conditæ, cæterisque Epochis, Iulianam periodum, ut rem tyronibus præsertim difficilem, & quod caput est, rei Chronologicæ inutilem, ut non nemo Mathematicorum ingenue fatetur; certe in tanta aliarum Epocharum longe faciliorem, ac notiorum frequentia, superfluum, proptereaq; neglectam à doctissimis Chronologis, qui multis retro seculis floruerunt, longum valere iubeamus.

---

### C A P V T XVI.

#### *De reâ eligenda Chronologia.*

QVONIAM vero non nostra solum, sed patrum quoque, atq; auorum memoria, atque adeo ab vltima pene antiquitate, innumerabiles Chronologiæ è tenebris emerferunt in lucem, non placet, ut vnâ aliquâ probemus, nostrum de singulis proferre iudiciû, & censoria virgula ambitiosè uti; id enim non solum odiosum fuerit, sed hominis etiam suæ tenuitatis, aut cer-